+223,11,6.
+2[illegible],11,6.

COMMENTATIO

DE

LOCIS QUIBUSDAM THUCYDIDEIS.

STADTSCHULE DÜSSELDORF

SCRIPSIT

EUG. JUL. GOLISCH,
DR. PHIL.

SUIDNICII TYPIS LUDOVICI HEEGII.

MDCCCL.

95C
28 (1850)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Loci Thucydidei.

Reputanti mihi, quid hac scribendi occassione oblata tractandum sumerem, haud ineptum est visum, ad Thucydidem recurrere, cujus historiis legendis alias plurimum temporis tribueram atque illustrandis ante hos octo annos dissertatione studueram. Qua quemadmodum id egi, ut, quantae interpretatio a Laurentio Valla latine facta in re critica exercenda esset dignitatis et auctoritatis, accuratius inquirerem atque demonstrarem: sic mihi nunc est animus, locis quibusdam passim carptis explicatisque firmare, etsi graeca illius scriptoris verba in optimis libris omnino integra legi minime dixerim, saepius tamen justo ea pro corruptis haberi iisque non tam emendandis quam explicandis opus esse. Fert enim Thucydidis vis et ratio dicendi, ut tum adhibito lumine sententiae obscuritas depellatur, tum insolentia orationis investigato proprio ejus genere explicetur. Hoc igitur modo quaestionem instituere est propositum.

I. 28. 5 ed. Popp. *ἕτοιμοι δὲ εἶναι καὶ ὥστε ἀμφοτέρους μένειν κατὰ χώραν, σπονδὰς δὲ ποιήσασθαι ἕως ἂν ἡ δίκη γένηται.* Corcyraei qui Epidamnum urbem obsidebant, quum audissent a Corinthiis copias parari, ut illi urbi, cujus patrocinium susceperant, subvenirent: ad bellum propulsandum legatos Corinthum miserunt, qui peterent, ut Corinthii praesidium colonosque Epidamno abducerent; si vero coloniam sibi vindicarent, ut arbitrorum delectorum judicio vel oraculo disceptaretur, utri haberent. Quibus quum responsum esset, ut Corcyraei quoque obsidione omissa exercitum abducerent, neque fieri posse, ut prius res controversae in deliberationem venirent: Corcyraei se id facturos esse promiserunt, si illi suos revocarent; sin minus, se etiam concedere, ut utrique suo loco manerent, inducias vero facerent, dum controversia dirempta esset. Haec enim videtur esse recta interpretatio. Vitiosa autem *ἕτοιμος* vocis explicatione factum est, ut editores neglecto librorum mss. testimonio de ejicienda *δὲ* conjunctione cogitarent, qua extrusa haec sententia efficitur: — sin minus, se etiam paratos esse ad pactionem ita faciendam, ut utrique manerent, dum controversia dirempta esset. At Corcyraei id tantum spectaverunt, ut bellum evitaretur (*πόλεμον δὲ οὐκ εἴων ποιεῖν*); quare postquam non impetraverunt, ut Corinthii abirent, inducias certe fieri voluerunt. Sane quidem *ἕτοιμος* vox plerumque „paratus" significat ex eaque nominativus c. inf. pendere solet, sed etiam accusa-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tivus c. inf. sequi potest, cujus usus testimonium apud ipsum Thucydidem exstat VIII. 9. 1. *Αγις δὲ αὐτοῖς ἕτοιμος ἦν, ἐκείνους μὲν μὴ λύειν τὰς Ἰσθμιάδας σπονδάς, ἑαυτοῦ δὲ τὸν στόλον ἴδιον ποιήσασθαι,* ubi schol. *ἕτοιμος ἦν=ξυγγνώμην εἶχε,* et Portus: „paratus erat ad hoc ipsis concedendum", et Poppo: „videtur igitur *ἕτοιμος* hic vim facilis, obsequiosus in al. accipere", qualem vim Bakio in adn. ad I. 28. concedere dubitat. Jam vero hujus loci formam comparanti mihi non est dubium, quin etiam illo loco verba *καὶ ὥστε ἀμφοτέρους μένειν κατὰ χώραν* aeque atque *σπονδὰς δὲ ποιήσασθαι* ex *ἕτοιμος* vocabulo pendeant atque *δὲ* particula genuina sit. Quod vero *ὥστε* ibi additur, nullius momenti est coll. Matth. gr. gr. § 531. adn. 2. et § 533. adn. 1. et Popp. Prolegg. I. 1. p. 145.

Eodem capite 28. 3. *μᾶλλον* vocabulum quo pertineret, interpretes dubii fuerunt, quum alii id ad *φίλους,* alii ad *ποιεῖσθαι* referrent, alii *τῶν ὄντων μᾶλλον* id quod *δυνατωτέρων* significare vellent. Mihi quidem, quia illae interpretationes vel aptam sententiam non efficiunt, vel linguae vim inferunt, alia via ingredienda et virgula ante *μᾶλλον* ponenda videtur esse, ita ut verba *μᾶλλον ὠφελείας ἕνεκα* arcte cohaereant iisque explicetur, cur Corcyraei quos nolint, sibi amicos facere cogantur. Quamvis necessitudine quadam cum Doribus conjuncti, tamen bello impendente se coactum iri significant, sui commodi causa foedus cum Atheniensibus facere, quod originis suae memores ad id tempus evitarint. Itaque ad verba *μᾶλλον ὠφελείας ἕνεκα* (potius auxilii causa) cogitandum est: quam gentium cognatione studioque adductos.

IV. 120. 2. Anno belli Peloponnesii nono quum duae partes de induciis congrederentur, Scione oppidum in Pallene paeninsula situm ab Atheniensibus ad Lacedaemonios defecit. Quare Brasidas tunc temporis in Sithonia paeninsula proxima, ubi Toronen occupaverat, versatus Scionen navi profectus est; quod quomodo fecerit quamque cautionem adhibuerit, a Thucydide his verbis descriptum est: *ἀποστάσι δ' αὐτοῖς ὁ Βρασίδας διέπλευσε νυκτὸς ἐς τὴν Σκιώνην, τριήρει μὲν φιλίᾳ προπλεούσῃ, αὐτὸς δὲ ἐν κελητίῳ ἄπωθεν ἐφεπόμενος, ὅπως, εἰ μέν τινι τοῦ κέλητος μείζονι πλοίῳ περιτυγχάνοι, ἡ τριήρης ἀμύνῃ· αὐτῇ ἀντιπάλου δὲ ἄλλης τριήρους ἐπιγενομένης κ. τ. λ.* Vulgo legitur *ἀμύνοι αὐτῷ,* quamquam optimi libri mss. *ἀμύνῃ αὐτῇ* exhibent. Poppo quidem se optativum propter antecedens *περιτυγχάνοι* recepisse dicit, qui tamen non prorsus necessarius sit. Atque conjunctivus *ἀμύνῃ* ita explicandus videtur esse, ut, dum *περιτυγχάνοι* optativus rem cogitatam, quae accidere potuit, significat, *ἀμύνῃ* conjunctivo indicetur, celocem revera propulsatum iri. Neque enim Brasidas dubitavit, quin triremis navis celoce superior foret. Quod vero ad *αὐτῇ* pronomen attinet, si id ad verba antecedentia referamus, structurae non est aptum; etenim, si dativus ad *ἀμύνῃ* requiritur, vel de Brasida vel de celoce cogitatur, atque utroque modo *αὐτῷ* desideratur; unde factum est, ut haec deteriorum librorum scriptura ab editoribus adoptaretur. Nam neque Hermanni conjectura, qua *αὐτὴ* scribendum et „solo adspectu" interpretandum statuit, neque Arnoldi explicatio, qua *αὐτὴ* „ultro" significet, probari potest, quia ibi *αὐτὴ ἡ ὄψις* desideratur, Arnoldus autem cogitare praetermisit, navem triremem idcirco praemissam, ut hostile navigium arceret, ultro succurrere non potuisse. Quae quum ita sint, videtur restare, ut ad *αὐτῷ* refugiamus. Sed id quoque sententiae non satis accommodatum est. Nam quoniam triremem praevectam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Brasidas procul secutus est, fieri non potuit, ut Brasidas sive celox, sed ut triremis navigio hostili occurreret. Itaque ἡ τριήρης ad περιτυγχάνοι perinde atque ad ἀμύνῃ subjectum est; triremi autem propositum fuit neque Brasidae neque celoci subvenire, sed navigium propulsare sive arcere; quare non αὐτῷ, immo αὐτὸ scribendum esset. Sed αὐτῇ equidem ita retineri posse puto, ut interpunctionis signum post ἀμύνῃ ponatur. Quo facto sententia quamquam non mutatur, plenior tamen efficitur, quum αὐτῇ ad triremem referatur et ἀντιπάλου accuratius describatur: „ei autem par triremis alia si adveheretur etc.“ Cui scripturae, ut librorum optimorum testimonium mittam, etiam concinnitas quae vocatur, suffragari videtur; quemadmodum enim ad μείζονι πλοίῳ appositum est τοῦ κέλητος, sic αὐτῇ ad ἀντιπάλου. Quod vero δὲ particula tertio loco posita est, fortasse in causa fuit, cur scribae αὐτῇ pronomen, utpote quod cum praecedentibus verbis conjunctum structurae repugnaret, in αὐτῷ mutarent. Quodsi Poppo Prolegg. I. 1. p. 302 hanc legem proponit, ut δέ, τέ, γάρ, μέν conjunctiones, nisi ubi praecedentia vocabula arctissime cohaereant et uno excepto vel articulus vel praepositio vel negandi particulae sint, tertio et quarto et adeo quinto loco collocatae non sint: alteri tantum conditioni mea interpretatione satisfit. Quia vero ipse exceptionem (τάχα ἂν δὲ VI. 2. 4. et VI. 10. 4., cui ego adjicio εἴ τῳ δὲ VII. 75. 4.) admisit atque apud oratores eam collocationem etiam latius patere ad. I. 6. 3. docuit: explicationem, quam proposui, ferri posse arbitror.

V. 20. 2. 3. σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους, καὶ μὴ τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον (οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν, οἷς καὶ ἀρχομένοις καὶ μεσοῦσι καὶ ὅπως ἔτυχέ τῳ, ἐπεγένετό τι), κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥςπερ γέγραπται, εὑρήσει κ. τ. λ. Quid his verbis scriptor sibi voluerit, neminem fugit; ea autem ita comparata sunt, ut sententiae necessariae difficillime accommodentur. Quae ut perspiciatur, primum ante κατὰ θέρη δὲ minimum interpunctionis signum esse ponendum et verba οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν — ἐπεγένετό τι parenthesis signo includenda videntur; haec enim ad ea, quae proxime dicta sunt, firmanda faciunt iisque explicatur, cur lubrica sit ratio, qua ex archontum vel aliorum magistratuum nominibus tabulisque definiatur, quo quid tempore gestum sit. Quem parenthesis usum cum cujusque linguae tum graecae proprium apud Thucydidem Poppo in Prolegg. I. I. p. 304. 305. demonstravit. Ad imperativi autem conjunctionem cum futuro tempore qualem hoc loco statuo, conferri possunt V. 26. 2. haec verba: τοῖς τε γάρ ἔργοις ὡς διῄρηται ἀθρείτω καὶ εὑρήσει κ. τ. λ. Quibus expositis ad expedienda verba καὶ μὴ τῶν ἑκασταχοῦ — μᾶλλον, in quibus summa difficultas cernitur, accedere licet. Et primum quidem quaeritur, unde τὴν ἀπαρίθμησιν accusativus pendeat, quem alii cum σκοπείτω, quod post καὶ supplendum sit, alii cum σημαινόντων conjungunt. At secundum eam structurae enodationem, ut alia incommoda mittam, verba πιστεύσας μᾶλλον supervacanea sunt. Jam vero quamquam viri docti, num accusativus ex πιστεύειν pendere possit, dubitant, hic tamen usus videtur esse concedendus. Nam quum V. 105. 3. τῆς τε ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους δόξης ἣν διὰ τὸ αἰσχρὸν δὴ βοηθήσειν πιστεύετε αὐτοὺς libri mss. paene omnes ἣν scripturam suppeditent, quae in paucis tantum in ἦν depravata est: ea genuina habenda neque duris interpretationibus opus est, quas alii interpretes alias proposuerunt, sed verba δόξης ἣν — πιστεύετε significant: opinionis, quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

creditis. Deinde VI. 32. 3. non modo illius verbi passivum, cui nihil momenti tribuerim, sed revera accusativus activo subjectus legitur (*τῶν μὲν πιστευόντων τὰ περὶ τῆς στρατείας τῆς τῶν Ἀθηναίων*), quem absolutum non magis dixerim quam in locutione: *τὰ πρὸς τοὺς Σικελοὺς ἔπρασσον* VI. 88. 3. Accedit, quod etiam schol. Lugd. ad *καὶ μὴ* apponit: *πιστεύσας τὴν ἀπαρίθμησιν*. Quae testimonia quum mutua auctoritate confirmentur, equidem fieri posse opinor, ut *τὴν ἀπαρίθμησιν* ad *πιστεύσας* referamus. Jam verba *τῶν ὀνομάτων — σημαινόντων* pendent ex *ἀπαρίθμησιν* (nominum, ubi res antea gestas notant i. e. nominum, ubi ad tempora rerum antea gestarum definienda adhibentur); neque magis hic *τῶν* articulo, quem Poppo post *ὀνομάτων* inseri vult, opus est, quam in verbis VII. 28. 4. *ὑπό τε τῆς Δεκελείας πολλὰ βλαπτούσης καὶ τῶν ἄλλων ἀναλωμάτων μεγάλων προςπιπτόντων* et in exemplis, quae Poppo ipse Prolegg. I. I. p. 299 et Suppl. ex Thucydide collegit. Restat, ut verba *τῶν ἑκαστοχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος* explicentur, qua ego quoque ex *ὀνομάτων* ita pendere statuo, ut *ἀπὸ τιμῆς τινος ὀνόματα* sint nomina, quae a munere quodam, ut ephori vel sacerdotis (cf. II. 2. *ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει — ἱερωμένης*), ducuntur. Si vero quis per verborum collocationem id fieri posse neget, hic usus Thucydidi condonandus est, ut III. 82. 4. *καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει*. Nam quod Kruegero, qui *ἐς τὰ ἔργα* ad *ἀξίωσιν* refert et propterea *τὴν* articulum antea requiri monuit, Poppo *ἐς* ex *εἰωθυῖαν* pendere respondet, speciosius quam verius est, quia non apparet, quid sibi velit sola locutio *εἴωθε ἔς τι*. Scholiastes quidem *ἀξίωσιν* interpretatur *σημασίαν* et *ἐς* praepositio ibi similem notionem habet atque illo loco cum verbo *σημαινόντων*. Neque tantum exempla accuratioris definitionis substantivo postpositae deprehenduntur, verum etiam antepositae, ut: I. 133. extr. *ἀλλὰ πίστιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ διδόντος τῆς ἀναστάσεως* pro *πίστιν τῆς ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἀναστάσεως*; II. 38. 1. *καθ' ἡμέραν ἡ θέρψις*; cf. Poppo Prolegg. I. I. p. 304 et Suppl. Quibus expositis haec sit verborum structura: *καὶ μὴ πιστεύσας μᾶλλον τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τῶν ὀνομάτων κ. τ. λ.* = et si minus enumerationi vel eorum qui singulis in civitatibus magistratus gerunt, vel nominum quae a munere quodam ducuntur, ubi res antea gestas notant, fidem habet, sed secundum aestates et hiemes, quomodo scriptum est, numerat: inveniet etc. Sane quidem, ne *ἢ* particulae trajectione, quamquam insolita ejus exempla Poppo multa collegit, assumpta opus esset, *ὀνομάτων* ad *τῶν ἑκασταχοῦ* subaudiri mallem, si id per articulum ante *ὀνομάτων* iteratum liceret, cf. Matth. gr. gr. § 279 adn. 3 ibique Plat. Phileb. p. 41. c. Nam quod ad *τῶν ἑκασταχοῦ* aliud atque *ἀρχόντων* vocabulum refertur, offensioni esse non potest coll. Matth. gr. gr. § 380. adn. 2. Itaque haec efficeretur sententia: et si minus enumerationi nominum singulis in civitatibus vel archontum vel quae a munere quodam ducuntur etc.

VI. 62. extr. Athenienses quum Segesten et Selinunta tendentes propter septentrionale Siciliae littus navigarent, Hyccara oppidum Segestanis infestum situmque ad mare ceperunt et equitibus Segestanis, qui aderant, tradiderunt, incolas autem captivos navibus Catanam abduxerunt. Quibus dictis haec verba adjiciuntur: *Νικίας δὲ εὐθὺς ἐξ Ὑκκάρων ἐπὶ Ἐγέστης παραπλεύσας καὶ τἄλλα χρηματίσας καὶ λαβὼν τάλαντα τριακοντα παρῆν ἐς τὸ στράτευμα· καὶ τἀνδράποδα ἀπέδοσαν καὶ ἐγένοντο ἐξ αὐτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τάλαντα.* Quae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ritur, possitne ἀπέδοσαν scriptura teneri, quae in omnibus libris mss. legitur. Facta enim pecuniae mentione, vendendi notio desideratur; quae quoniam ἀπέδοσαν activo non inest, ἀπέδοντο conjicitur. Quamquam Arnoldus activi interpretandi periculum fecit, id tamen rebus minus convenit, quam quod cui probatum sit. Fortasse librorum scriptura defendi et explicari potest adhibito alio loco VIII. 28. 4, ubi narratur, Jaso capto, a Peloponnesiis locum Tissapherni et captivos traditos esse, quorum pro singulis ex pacto stater Daricus solveretur. Verba autem haec sunt: τό τε πόλισμα Τισσαφέρνει παραδόντες καὶ τὰ ἀνδράποδα πάντα καὶ δοῦλα καὶ ἐλεύθερα, ὧν καθ' ἕκαστον στατῆρα Δαρεικὸν παρ' αὐτοῦ ξυνέβησαν λαβεῖν, ἔπειτα ἀνεχώρησαν ἐς τὴν Μίλητον. Quamquam hic pretium captivis constitutum est, tamen de venditione cogitari non potest. Idem fortasse servis Hyccaricis factum est; eos enim Athenienses Catanaeis sociis tradiderunt, qui, solutis in universum centum et viginti talentis, vel eos vendebant vel quocunque modo iis utebantur. Haec vero ratio fuit aptissima et Atheniensibus commodissima, quippe qui peregrini aliisque rebus intenti ad singulos vendendos accedere non possent. Hac igitur interpretatione probata, ἀπέδοσαν significatione primaria similique atque παρέδοσαν dictum videtur esse.

VII. 49. 2. ἐς τὴν Κατάνην τῷ τε πέζῳ ἐπὶ πολλὰ τῆς χώρας ἐπιόντες τρέψονται πορθοῦντες τὰ τῶν πολεμίων κ. τ. λ. Quum clade accepta duces Athenienses consultarent, num contra Syracusanos in Sicilia manerent an domum se conferrent: Demosthenes quidem reditum suasit, Nicias autem veritus, ne populus Atheniensium id aegre ferret atque ipsis crimini daret, ut Thasum vel Catanam se verterent, censuit; quod ad consilium exponendum firmandumque verbis, quae supra memoravi, usus est. Jam quum editoribus fere θρέψονται scriptura pro τρέψονται arriserit, et mutatio levissima sit, animi temerarii videri possit, eam impugnare. At quoniam θρέψονται tres tantum libri praebent atque hic paucis ex locis, quibus postrema historiae Thucydideae parte codicum Vat. et Paris. H. praestantia nitatur, unus est: eum accuratius examinare operae pretium est. Jam vero θρέψονται scriptura quo magis primo adspectu placet, eo minus probatur diligentius rem perpendenti formamque orationis Thucydidi propriam investiganti. Et primum quidem mira videtur esse sententia: „unde se alerent hostium agros vastando.“ Certe ἅμα particula, cui Thucydides non parcit, addita opus foret, ut sententia esset: unde se alerent, simul hostium agros vastando. Deinde si duo enunciationis membra, quae τε — τε conjunctionibus conseruntur, accuratius consideramus, Demosthenem id tantum spectare apparet, ut Athenienses, victus ratione non habita, rebus afflictis medeantur. Altera enim parte se alto mari navibus pugnaturos superioresque esse evasuros, altera cum peditibus agros hostium se vastaturos iisque damna allaturos affirmat. Quodsi cur τρέψονται rejiciatur, quaesiverimus, dubitationem non esse justam intelligemus. Poppo enim opponit, ἐπιόντες τρέψονται pro solo ἐπίασι inepte dici. At quomodo hic participium, sic infinitivus cum τρέπεσθαι conjunctus legitur II. 65. 10. οἱ δὲ ὕστερον — ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι, ubi Hier. Mueller verba ἐτράποντο τὰ πράγματα ἐνδιδόναι arctissime conjungenda recte interpretatus est. Atqui Thucydidis maxime proprium est participiis pro infinitivis uti. Quo accedit, quod alio loco is revera itidem participium cum τρέπεσθαι conjunxit: V. 88. εἰκὸς μὲν καὶ ξυγγνώμη ἐν τῷ τοιῷδε καθεστῶτας

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἐπὶ πολλὰ καὶ λέγοντας καὶ δοκοῦντας τρέπεσθαι = Naturae convenienter atque cum venia fit, ut, qui tali conditione sunt, ad multas rationes et dicendo et cogitando se convertant i. e. ut — multa et dicant et cogitent. Itaque reprehensio illa inepta est; quin etiam hujus loci forma (ἐπὶ πολλὰ — τρέπεσθαι) cum illo comparata τρέψονται vocabulum genuinum esse evincit. Neque praeterea exiguum ejus praesidium in eo cernitur, quod depravandi vestigium et causa elucet, quum librorum scriptores, aeque atque recentiores editores, Thucydidis oratione haud satis cognita, de victu cogitarint ideoque θρέψονται male amplexi sint, quamquam antea, ubi res perditae et incommoda in deliberationem venerunt, nusquam mentio fit victus.

Fert autem res, ut alium locum similem adjungam, quo Thucydidis verba restituantur et firmentur. Est is VIII. 35 extr. Impetu in Cnidum facto, primo die haud multum abfuit, quin Athenienses urbem non munitam expugnarent; postero autem die, quum incolae noctu praesidia parassent et auxilia accepissent, non multum profecerunt. Quibus narratis Thucydides haec addit: ἐπελθόντες καὶ δῃώσαντες τὴν τῶν Κνιδίων γῆν ἐς τὴν Σάμον ἀπέπλευσαν. Mirum est, quod hic quoque unius codicis Vat. scripturam ἀπελθόντες interpretes potiorem duxerunt; neque enim profecto quisquam cogitare non potest, Athenienses ab urbe discessisse, quum agros Cnidiorum vastarent. Si vero quis ἐπελθόντες cum δῃώσαντες conjunctum pariter otiosum dicat, vehementer errat, quia ἐπελθόντες significat, Athenienses non inter viam et reditum, sed incursionibus de industria factis agros vastasse. Neque deinde praetermittendum est, ἐπέρχεσθαι et ἐπιέναι cum verbo δῃοῦν vel simili saepe conjungi, cujus usus praeter locum, de quo supra disputavi, VII. 49. aliud exemplum est II. 11. 8. οἱ ἄρχειν τε τῶν ἄλλων ἀξιοῦσι καὶ ἐπιόντες τὴν τῶν πέλας δῃοῦν μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὁρᾶν. Cf. III. 26. 4. ἐπεξῆλθον τὰ πολλὰ τέμνοντες, et quoniam exercituum itinera motusque cum maris fluctibus conferri solent: III. 89. 2. ἡ θάλασσα — ἐπῆλθε τῆς πόλεως μέρος τι καὶ τὸ μὲν κατέκλυσε, τὸ δ' ὑπενόστησε.

Paullo aliter comparatus est locus VI. 69. 1. καί τινες αὐτοῖς, ἐγγὺς τῆς πόλεως οὔσης, καὶ ἐπεληλύθεσαν. Ibi enim ex duobus deterioris notae libris ἀπεληλύθεσαν ab editoribus fere illatum est, quod ἐπέρχεσθαι plerumque hostilem accessum indicet. Sed Thucydides ipse alius significationis exempla praebet; nam I. 36. 2. ὥστε μήτε ἐκεῖθεν ναυτικὸν ἐᾶσαι Πελοποννησίοις ἐπελθεῖν amicorum appropinquatio cogitatur. Tum IV. 120. init. περὶ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας αἷς ἐπήρχοντο Σκιώνη — ἀπέστη hanc Poppo cum schol. explicationem proposuit: „diebus quibus ultro citroque ibant.“ Atque III. 23. 5. κρύσταλλός τε γὰρ ἐπεπήγει οὐ βέβαιος ἐν αὐτῇ (τῇ τάφρῳ) ὥστ' ἐπελθεῖν scholiastes interpretatur: διαδραμεῖν i. e. transire. Cf. locutiones: νυκτὸς ἐπελθούσης et τῆς ἐπιούσης νυκτός IV. 128 extr. 130. 1 et al. Itaque non est, cur nostro loco ἐπεληλύθεσαν rejiciamus. Et mihi quidem, etsi ἀπεληλύθεσαν minime absonum dixerim (cf. c. 100. 1. τηρήσαντες — τινὰς καὶ ἐς τὴν πόλιν ἀποκεχωρηκότας), ἐπεληλύθεσαν tamen subtilius esse videtur; alterum enim de iis quoque intelligi possit, qui signis desertis vel reditu non proposito in urbem abierint (cf. VII. 13. extr. οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει ἀπέρχονται); altero reditus consilium nobis innuitur, praesertim si Popponis explicationem ad IV. 120. amplectimur; si quidem Syracusanorum nonnullos postea quoque inter exercitum et urbem ultro citro commeasse ex cap. 100. 1. patet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἐπὶ πολλὰ καὶ λέγοντας κ
fit, ut, qui tali conditi
tant i. e. ut — multa
etiam hujus loci forma
genuinum esse evincit
depravandi vestigium
res editores, Thucydid
male amplexi sint, qu
venerunt, nusquam me

Fert autem res
tuantur et firmentur.
multum abfuit, quin A
quum incolae noctu pr
Quibus narratis Thucy
τὴν Σάμον ἀπέπλευσαν.
θόντες interpretes poti
Athenienses ab urbe
θόντες cum δῃώσαντες c
τες significat, Athenien
factis agros vastasse. N
δῃοῦν vel simili saepe
49. aliud exemplum est
μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὁρ
cituum itinera motusq
ἐπῆλθε τῆς πόλεως μέρος

Paullo aliter c
καὶ ἐπεληλύθεσαν. Ibi
fere illatum est, quod
ipse alius signification
Πελοποννησίοις ἐπελθεῖν
ἡμέρας ταύτας αἷς ἐπήρχ
suit: „diebus quibus
οὐ βέβαιος ἐν αὐτῇ (τῇ τ
ire. Cf. locutiones:
Itaque non est, cur
θεσαν minime absonun
ρηκότας), ἐπεληλύθεσαν
possit, qui signis des
οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας
sertim si Popponis ex
nullos postea quoque

nvenienter atque cum venia
ndo et cogitando se conver-
nensio illa inepta est; quin
mparata τρέψονται vocabulum
esidium in eo cernitur, quod
ores, aeque atque recentio-
cogitarint ideoque θρέψονται
incommoda in deliberationem

quo Thucydidis verba resti-
dum facto, primo die haud
gnarent; postero autem die,
nt, non multum profecerunt.
σαντες τὴν τῶν Κνιδίων γῆν ἐς
odicis Vat. scripturam ἀπελ-
uisquam cogitare non potest,
starent. Si vero quis ἐπελ-
menter errat, quia ἐπελθόν-
ncursionibus de industria fa-
ἔρχεσθαι et ἐπέναι cum verbo
de quo supra disputavi, VII.
καὶ ἐπιόντες τὴν τῶν πέλας δῃοῦν
τέμνοντες, et quoniam exer-
nt: III. 89. 2. ἡ θάλασσα —
ε.
ς αὐτοῖς, ἐγγὺς τῆς πόλεως οὔσης,
is ἀπεληλύθεσαν ab editoribus
um indicet. Sed Thucydides
ὥστε μήτε ἐκεῖθεν ναυτικὸν ἐᾶσαι
Tum IV. 120. init. περὶ δὲ τὰς
schol. explicationem propo-
. 5. κρύσταλλός τε γὰρ ἐπεπήγει
etatur: διαδραμεῖν i. e. trans-
ς IV. 128 extr. 130. 1 et al.
t mihi quidem, etsi ἀπεληλύ-
τινὰς καὶ ἐς τὴν πόλιν ἀποκεχω-
n enim de iis quoque intelligi
em abierint (cf. VII. 13. extr.
nsilium nobis innuitur, prae-
i quidem Syracusanorum non-
mmeasse ex cap. 100. 1. patet.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M
Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iuvat propter ἐπὶ praepositionis vim etiam ἐπιέναι conferre. VII. 78. 1. Ὁ μὲν Νικίας, τοιάδε παρακελευόμενος, ἅμα ἐπῄει τὸ στράτευμα καὶ εἴ πη ὁρῴη διεσπασμένον καὶ μὴ ἐν τάξει χωροῦν, ξυνάγων καὶ καθίστας κ. τ. λ. Hic quoque ἐπὶ praepositio actionem repetitam indicat, quoniam Nicias huc illuc accedens exercitum lustravit atque instruxit. Aliis locis ἐπιέναι significat: locum praesidio firmare vel occupare, ut VII. 27. 3. φρουραῖς — κατὰ διαδοχὴν χρόνου ἐπιούσαις τῇ χώρᾳ. Quodsi hic ἐπιούσαις de praesidio Deceliam tenente apte usurpatur, ἐπόντας conjectura IV. 128. 1. supersedere possumus. Ut enim ibi non de praesidio, quod Deceliam ingrediebatur, sed quod ingressum eam tenebat, cogitatur: sic hic Thucydides barbaros significat, qui collem modo occupabant itaque revera in colle erant (τῶν ἐπὶ τοῦ λόφου). Poterat etiam librorum scriptura eo defendi, quod interdum praesentis temporis participio actio exprimitur, quae in praeteritum cadit, ut III. 40. 5. οἱ διαφεύγοντες. Atque pari modo VI. 102. 4. ἃ ὁρῶντες οἱ ἄνωθεν κατὰ τάχος ἐπῄεσαν καὶ ἡ ξύμπασα στρατιὰ τῶν Συρακοσίων ἐς τὴν πόλιν librorum optimorum scriptura ἐπῄεσαν pro ἀπῄεσαν defendenda et restituenda est; ii enim, qui impetum in Epipolas fecerant, propter incendium, ut Thucydides verbo dixit, pugnam non renovarunt, sed abierunt et, quum urbi periculum imminere viderent, aeque atque reliquus exercitus praesidii causa eo se receperunt. Quam vero codices Vat. et Paris. H. hac in re suspectae fidei sint, praeter VIII. 35., ex scripturae discrepantia ad VII. 4. 2. καὶ ὁ Γύλιππος — ἐπῄει πρὸς αὐτό, ubi iidem ἀπῄει exhibent, cognoveris.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf